

C A P V T X V.

93

Hæ distantia. Iam porrò subiungam laterculum arcuum, quib̄ sinibus debentur ijs, quos efficiunt Veneris quidem & Mercurij altissimi abscessus, si media terræ distantia sit sinus totus: Telluris verò media distantia, si superiorum abscessus longissimi sint sinus totus: quorum arcuum illi quidem elongationibus maximis Veneris & Mercurij à Sole, hi verò prosthaphæresibus ἀπογείοις Saturni Iouis & Martis proximi erunt. In primo ordine sunt arcus, qui proueniunt ex corporibus exclusâ Lunâ, in secundo arcus, qui proueniunt ex distantijs à Sole Copernicanis, in tertio denique, arcus qui ex corporibus, adiunctâ Telluri Lunâ sequuntur; Et interponentur vtrinq̄ue differentia.

	o	/	o	/	o	/	o	/	o	/		
♄	5	25	—	0	20	5	45	—	0	41	5	4
♃	10	17	—	0	12	10	29	—	0	6	10	23
♂	40	9	+	2	47	37	22	+	0	20	37	52
♀	49	36	+	1	45	47	51	—	2	18	45	33
♁	30	23	+	1	4	29	19	—	1	1	18	18

C A P V T X V I.

De Luna peculiare monitum, & de materia corporum & orbium.

NON ergo exiguum scrupulū Lunæ Orbis, vtut exiguus sit, mouet. Quare porrò de Luna tempus est, vt aliquid dicam. Et incipio quidem sine ambage, tibi Lector, sincerè meam mentem exponere; secuturum nempe me in hac causa, quocunque propinquitas numerorum præit. Vt si interpositio Lunæ numeros & arcus Copernici veriùs reddit: dicam accensendum illud systema crasitiei orbis magni. Sin autem eiectâ Lunâ melius nobis cum Copernico conuenire potest: etiam ego dicam, orbem magnum non tam crasum esse circumcirca, vt cœlum Lunare tegat: sed eminere interdum sursum, interdum deorsum, integrum Lunæ hemisphærium supra vel infra margines orbis magni, interdum & plerunque quidem minus hæmisphærio extare; omnino prout ipsum corpus telluris

luris